

omnibus, & singulis interfui, & rogatus ut exemplarem exemplavi cum auctoritate R. D. Vicarii generalis Episcopatus D. Petri de Ferrufinis, & dominis Anzianis exemplavi de verbo ad verbum omnibus audientibus, & legentibus de originali, signumque meum consuetum apposui in testimonium omnium præmissorum.

Ego Bartholomeus Gambarinus f. q. d. Jacobi civis Alexandrini pub. Imperiali auctoritate Notarius prædictis omnibus, & singulis interfui, & rogatus ut exemplarem, & cognoscerem, legi vidi de verbo ad verbum cum auctoritate R. R. D. Vicarii generalis Episcopatus, & D. Petri de Ferrufinis, & dominis Anzianis dictæ civitatis omnibus audientibus, & legentibus de originali, signumque consuetum apposui ecc. Ego Petrus de Piris f. q. d. Johannes civis Alexandrini pub. Imperiali auctoritate Notarius prædictis omnibus, & singulis rogatus ut exemplarem, & cognoscerem, legi vidi de verbo ad verbum cum auctoritate R. R. D. Vicarii generalis Episcopatus civitatis Alexandriæ D. Petri de Ferrufinis, & dominis Anzianis omnibus audientibus, & legentibus de originali, signumque meum consuetum ecc.

*Sententia arbitraria de patronatu S. Martini de Gamundio.*

298

MCCCXLVII.

Anno Nativitatis Domini MCCCXLVII., indictione XV., die VII. mensis novembris in Alexandria in clauistro S. Stephani de Becchariis præsentibus me Notario, & testibus infra scriptis. Quum Ecclesia S. Andreae dicta de Corrigio Capella S. Martini de Gamundis Parrochialis, & Collegiata, in qua morantur, & resident fratres, & conventus Ordinis Eremitani S. Augustini de Alexandria Ministro, sive Rectore vacaret per mortem Presbyteri Manfredi Guastallæ de Vuiliis olim Rectoris, & Ministri dictæ Capellæ præsentati in sua institutione per patronos Laicos ipsius Capellæ Fr. Pagano Bogerio tunc Priori dictæ Ecclesiæ, & Conventus S. Martini, & confirmati per eundem ad dictam præsentationem factam sine aliqua contradictione, vel exceptione in Ministrum, & Rectorem dictæ Capellæ, in qua Ecclesia, sive Capella dictus Presbyter Manfredus stetit, & vixit per annos quadragintaquinque, vel circa, ut hæc patent publicis instrumentis factis millesimo trecentesimo secundo, indictione XV., die Veneris XXI. mensis decembris receptis per Gerardum Merlanum Notarium publicum de Alexandria pacifice, & quiete usque ad diem obitus. Et sapiens vir D. Joannes de Cermellis jurisperitus major, & antiquior ex patronis ipsius Capellæ nomine, & vice sui, & domus suæ, quam etiam aliorum patronorum laicorum vellet præsentare, & producere Ministrum, & Rectorem Priori, & Conventui dictorum fratrum Eremitani ordinis S. Augustini per eum confirmandum ad dictam Capellam, sicut hætenus confirmaverunt prædecessores dictorum conventus, & fratrum ab antiquo usque ad diem hodiernam sine aliqua contradictione, dictus Prior, sive Superior, & Conventus prædicti contradicentes dictæ præsentationi, & con-

firimationi allegantes pro se, & dicentes quod dicti patroni laici, sive aliquis ipsorum non habent se intromittere de præsentatione, vel ordinatione Ministri, seu Rectoris in dicta Capella, sed tantum, & totaliter spectabat ad eos ex vigore suorum multorum privilegiorum, & plurium sententiarum antiquarum datarum, & latorum antiquis temporibus pro ipsis fratribus (ut dicebant) per quondam quemdam Dominum Episcopum Taurinensem, & Archiepiscopum Mediolanensem, nec non & R. P. P. D. Archiepiscopum Januensem, & Episcopum Ter-tonensem, & alias etiam confirmationes, & declarationes productas, & ostensas super quæstionibus, & discordiis habitis inter dictas partes antiquis temporibus, ut superius est præmissum, & ex præmissis de novo habitis, & factis orta fuerit, & sit ex utraque parte discordia, & materia controversiæ dubitationis, & causæ.

Tandem ipsæ partes volentes parcere laboribus, & expensis in hoc negotio, & ipsam tangentibus de plane, & concorditer existentes in capitulo dictorum fratrum, & conventus, in quo extat Subprior, & alii fratres dicti conventus propter hoc ad capitulum convocati, & Jacobinus Botatius eorum syndacus, & procurator, ut constat per cartam factam manu Buttini Cermelli Notarii hoc eodem millesimo, indictione, & die XV. mensis octobris, nec non, & dicti Domini Joannes Cermellus procurator, & syndacus tam sui nomine, & domus suæ, quam aliorum patronorum consortum suorum dictæ Capellæ, ut constat per cartam factam per manum supradicti Buttini Notarii, hoc eodem anno millesimo, & die XVIII. octobris sese concorditer ... compromiserunt ... in religiosum, & discretum virum D. fratrem Anselmum Gattum professum domus sancti Joannis dictæ de Capuccio de Alexandria ordinis Humiliatorum ..., de quo compromisso, & contentis in ipso patet per instrumentum publicum factum per manum Bottini de Cermellis de Alexandria Notarii publici hoc eodem anno, indictione, & die XXI. mensis octobris, quibus compromisso, & instrumentis ... diligenter visis, & pluries examinatis per ipsum ... apud D. fratrem Anselmum dubitatio non modica super prædictis orta fuerit, & de voluntate ipsarum partium ... sapientem, & discretum, & antiquum virum D. Federicum Passalacquam de Derthona utriusque juris peritum, expertum, legalem, & fidelem. Cujus consilio, & scripturis fideliter receptis ab eo in dicto sacculo exligato coram ipsis partibus ... ipse Fr. Anselmus ... consilium dicti D. Federici aperuit, & legi, & publicavi fecit per me Notarium infra scriptum, cujus consilii tenor est.

In nomine Domini amen. Consilium mei Federici Passalacquæ de Derthona assumti ad consulendum super controversia, seu quæstione inter Dominum Priorem, & fratres Ecclesiæ Collegiatae S. Martini de Gamundis de Alexandria ordinis Eremitani ex una parte, & quosdam Parochianos dicentes se patronos Ecclesiæ S. Andreae de Corrigio de Alexandria Capella dictæ Collegiatae Ecclesiæ S. Martini ex parte alia occasione institutionis, & præsentationis fiendæ de Rectore ad dictam Ecclesiam sancti Andreae ad præsens proprio Rectore vacante per-